

rebellium patronus, *proſcriptus* ab *Auguſto* (z), cui executio ab Imperatore demandata, in *Grimmenſteinensi* arce oppugnatur; qua in deditioem 1567. accepta, direptaque, is captius abducitur Viennam, vbi poſt XXVIII. annorum carcerem moritur. *Sacrorum* vero cura Electori maius longe negotium faceſſiuit. Mortuo *Luthero*, aucto-ritate praeualuit inter noſtrates *Melanchthon*; qui, vt erat mitiſſimi ingenii vir, a magno Lutheri rigore contra *Reformatorum in ſacra Coena* ſententiam multum remiſit; ſatius eſſe ratus, ſi in *concordiam* illi redirent cum noſtrati-  
bus, *problemate* ipſo ad ſuperiorem cathedram relegato. Noluit tamen, ne in manes fidiffimi quondam comitis, *Lutheri*, peccare videretur, quid in re, toties ventilata, ſentiret? quicquam definire. *Peucerus* autem, mortuo ſocero alienam olim mentem a *Lutheri* dogmate in hac controuerſia fuiſſe, cum pluribus in aula Saxonica primariis viris communicauit, & apud alios multos aperte prodidit. Hic fomes magni incendii fuit, quod Saxo-  
niam vniuerſam miſere afflixit. Congrediuntur enim *Theologi Wittebergenses*, atque *genuinos Lutheranos*, quo nomine ſe ipſos ſignabant, a *Philippizantibus & Crypto-Calvinianis*, quam notam aduerſae parti inurebant, tanto ſpacio ſeparant, ut *Turcis* ac *Iudaeis* tolerabilia dogmata, quam illorum eſſe, imperitis perſuadere conarentur. Quid faceret ſapientiffimus Princeps inter ambitioſo-  
rum Theologorum discrimina? cum eo res deueniret, vt neque pagis, neque vrbibus in religione vnum dogma eſſet: imo coniugum ſaepius fidem haec diſſidia labefa-  
ctarent. Adhibitis ergo *exterorum Theologorum* confi-  
liis; pro medela habetur, *Symbolum* condere; cui fidem adſtringeret Elector cum *paſtorum* omnium, tum ſingulo-  
rum adminiſtrorum. Haec illa *Formula Concordiae* (a)  
an. 1579.

(z) Qui etiam ob impenſas in hoc bellum praefecturas *Arenshang*, *Weida*, *Sachſenburg* & *Ziegenruck* in ſecuritatem ſum-  
tuum reſtituendorum accepit, qui eam ob cauſam vulgo die *aſſecurirten Nemter* vocantur. Conuentionem quoque in-  
iit cum Ruthenis, vi cuius Comites iuribus ſuis praetentiſ in *Voigtsberg*, *Oelſniz*, *Plauen* & *Paufe* penitus renunciarunt.

(a) Quae in coenobio Bergensi prope Magdeburgum potiſſi-  
mum condita, Electoremque, hanc vt conderet formulam,  
plus